



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

Dominica II. Post Pascha.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

## DOMINICA II.

## P O S T P A S C H A:

1.

*Animam meam pono pro ovibus meis.*  
*Joan. 10.*

Satis intelleximus, quanta pro nobis passus sit Christus, ut nos tanquam oves perditas quaereret. Eramus creati à Patre ad æternam felicitatem: eâ postquam Adamo peccante excidimus, reducere nos filius voluit. Redeamus igitur ad illum, hortante in hodierna Epistola S. Petro: *Eratis enim, sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.* 1. Petr. 2. Consideremus igitur, quem in finem creati simus. *Mense I. Disc. 4. pag. 49.*

2.

*Cognosco oves meas.* *Joan. 10.*

Omnia perspicit Deus: cognoscit oves suas & fideles & errantes; nam immensus & ubique præsens est. *Mense II. Disc. 42. pag. 172.*

3.

*Cognosco oves meas, & cognoscunt me*  
*mea.* *Joan. 10.*

Cognoscit oves suas Christus, quæ ipsum humilitate, patientia, simplicitate, legum observantia imitantur: cognoscunt ipsum oves suæ,  
quæ

quæ non alterius, nisi Christi ductum sequuntur; nullas alias vivendi regulas habent aut ab ullo suscipiunt, nisi quas ille præscripsit. At verò longè alias mundus & diabolus præscribunt, quas qui sequuntur, summam Christo injuriam faciunt. *Mense III. Disc. 75. pag. 299. ad num. 6.*

4.

*Lupus rapit, & dispergit oves. Joan. 10.*

Væ illis, qui bonum pastorem deserunt, ejusque præcepta negligentes sequuntur mundi regulas ac placita. Hi facilè infernali lupo in prædam cedunt. Tu si ejusmodi principiis ac perversis vivendi regulis utaris, gravissimum damnum proximo, tibi ipsi certum interitum accersis. *Mense III. Disc. 75. pag. 309. à num. 6. ad finem.*

5.

*Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est. Joan. 10.*

Miserrimus est, qui pro mercede temporali servit; ubi enim periculum imminet, Domino suo esse fidelis desinit. Lucri sola spes aliquamtenus eum in officio continet, sed neque lucri cupiditas, licèt cum infamia fugientem deserit. Detestabilis est omnis avaritia, cùm hominem semel eo vitio occupatum eò inducat, ut vix ad meliorem viam vitamque converti possit, donec vivit. *Mense V. Disc. 143. pag. 444. ad num. 9.*